

quam saecularibus denunciandum praescribere utpote ordinare, quod tantummodo diebus festivis et quarta et sexta feria liceret sacerdotibus monialibus et saecularibus Eucharistiae Sacramentum ministrare. Tamen nihil ex arbitrio suo de hac re ausus est determinare, ne videretur fortasse praeter intentionem concilii Tridentini Sess. 22. cap. 6 ordinare, sed totam hanc rem ad SS. D. P. detulit, qui hoc negotium vobis Illms DD. Cardinalibus declarationi Concilii Tridentini praepositis determinandum demandavit. Quapropter Episcopus Brixien. Illas et Rmas Amplitudines vestras rogat, ut eidem dignentur declarare et modum praescribere, quo in hac re salutis animarum suae dioecesis sit consulendum etc.: „An Episcopo volenti certa tempora statuere, nempe, dies dominicas, quartam et sextam feriam, quibus liceat viris laicis conjugatis SSmam Eucharistiam sumere, ob irreverentiam, quam posset quotidiana hujus sacramenti sumptio in sua dioecesi parere, obstet decretum conc. c. 6. sess. 22?

*Votum Cardinalis Carafae.*

Ex traditione Apostolorum hoc institutum emanare, ut adstantes fideles missis SSmae Eucharistiae perceptione communicent, probatur ex sententia SS. patrum in cap.: *Peracta de consecr. a. 2.*, ibi passim ex Gratian. adducitur varia consuetudo in diversis temporibus communicandi. Concilium vero Tridentinum dixit Anathema iis, qui dicerent illicitas esse missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat. Deinde idem Concilium, optaret, inquit, ut adstantes fideles communicarent, quia, ut tradit s. Thom. 4. Sent. dist. 52. qu. 3 art. 2. et reliqui DD. omnes, quod frequenter communicare est per se bonum nisi ratione accidentis alicujus, nempe si

inordinate fiat vitio communicantium. Et ut indicaret s. Synodus, quod hujusmodi, quod est melius per se, potest impediri, non absolute dixit optat, sed optaret, ut omnes essent tales, ut idonei essent, ut possent cum Psalmista dicere: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus*; sicuti eadem s. Synodus in cap. 7 et 8 sess. 13 de doctrina s. Eucharist.

Ex quibus consequitur haec conclusio, quod non videtur absolute obstare proposito themati hujusmodi decretum concilii.

„Deinde considerandum, quod nulli Sacramentum Eucharistiae poscenti denegari potest, nisi publicis peccatoribus, s. Thomas 3. qu. 80. art. 6.,

„Hinc sequitur, quod hujusmodi prohibitio nihil aliud censi potest nisi quaedam excommunicatio minor, ut quis arceatur a Sacramento altaris, nec fit nisi ob peccatum mortale (cap.: *Inimicus XI. 9. 3.*) Ergo Episcopus hujusmodi praefinitionem facere non potest.

„Sed per verba Concilii existimandum est, id neque posse; nam quotidianam communionem non praecipit sed optaret, quod si optaret, procul dubio videtur, non certo posse praefiniri a nemine, cum tota haec res in praeparatione animi consistat, ut dicitur in dicto cap. 7: *Probet autem seipsum homo*.

„Et ecclesia praecipit, ut saltem semel in anno communicent, non autem ut non communicent nisi talibus diebus. Idem habetur ex cap.: *Quotidie de consecr. dist. 2.*, in quo duo colliguntur, quod nec laudat nec vituperat quotidie communicare; deinde iudicat remittendum in totum conscientiae accipientis, dummodo hoc faciat, quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum.

„Si ergo praefiniri non potest quibus temporibus haec frequentia sit admittenda, videtur etiam episcopo non licere id quod petit, cum totum negotium consistat ut unusquisque paratus accedat.

„Sed in aliquibus non vitatur lapsus nec sentitur processus, quod vita velut proscripto transigitur, iidem hesterni atque hodierni mores; cum unicum hujus bene gesti negotii sit argumentum virtutis profectus, adire frequenter divinam mensam hos desinere oportet.

„Qui vero assequuntur ut si progredi nequeant, sed hac coelesti medicina continentur, ne labantur, his consilium dandum ut crebro accedant, iis autem, qui matrimonio juncti sunt et oportet ut negotiis saecularibus praecipue implicati sint, et non cogitant, inquit apostolus, quae Dei sunt sed mundi, divisi enim sunt, nullo modo consilium dari potest, ut quotidie communicent; non enim possent scire, quid sit oratio et quomodo orandum sit, nedum quanta cum reverentia accedere oporteat ad hoc augustissimum Sacramentum; quos ut vacent orationi, idem s. apostolus separari admonet.

„Sed Episcopi id erit, ut paterne cum illis agat, quibus communicare non est consulendum, ut dictum est, hortationibus, ut cognoscant plurimi facere, quod eis assiduitate viluerat; dico de illis, de quibus primo loco dixi; et ostendat etiam confessoribus suum munus, postremo praedicatoribus de praeparatione necessaria adhibenda et quanta esse debeat.

„Eodem modo procedendum cum conjugatis, ut discant et cognoscant hanc sanctam praeparationem et quod non potest fieri, ut in matrimonialibus actibus mens non remaneat perturbata et cum status hujusmodi sit negotiosus ut mens aliquando non distrahat in

his sanctis actionibus ut non cogitet quae sunt mundi.

„S. Apollonius solus hortatus est suos monachos ad quotidianam communionem.

„Et in primordio nascentis ecclesiae, si erat talis consuetudo, considerandum quales fuerint illi.

„S. Franciscus diebus dominicis tantum communicabat.

„S. Benedictus singulo quoque mense praecipit suis monachis.

„De hac materia S. Thom. 2. quaest. 80. art. 10., Turrecr. cap. *Peracta de consecr. dist. 2.*

„Ex quibus omnibus concludi videtur quod in ecclesia a tot SSmis Patribus fuit praefinitum et hucusque varia opinio extat. A nobis etiam aliquid novi non videtur decernendum, sed cum lex feratur, ut in pluribus (potest enim esse, ut digni plures quotidie sumant et quotidie de virtute in virtutem progrediuntur, pauci vero qui non illa charitate et reverentia sumant) et ideo cum de hac re nihil certi determinari possit, existimo relinquendum conscientiae sumentium et iudicio peritorum confessoriorum et scribendum episcopo ut suum opus agat in vigilando, ut cum illa qua decet reverentia hoc admirabile Sacramentum administretur, particularia vero proposita declinet et remedia adhibeat in his, quae indigent, rationibus jam dictis et hortetur communionem singulis dominicis et festis solemnioribus diebus etc.

*Votum Alterius.*

Antequam ad quaestionem propositam formiter respondeam, duo prius excutienda putavi; primum erit: An liceat? Secundum dato quod liceat: An expediat? Ac demum videbimus: an huic ordinationi, si fieret, obstat sacrum concilium?

„Ad primum, res non caret dubio; nam cum haec prohibitio in effectu nihil aliud sit quam quaedam minor excommunicatio, per quam quis a Sacramento altaris arcetur, quae non debet nisi pro peccato mortali infligi (*Gloss. cap.: Inimicus*) et in casu proposito nil tale supponatur, sequitur non liceat Episcopo talem ordinationem, quae vim excommunicationis obtinet, promulgare maxime contra unitatem, argumento notatorum in cap.: *Romana de Sent. excom. in 6*“.

„Sed quia hoc argumentum eo solum tendit, ut insinuet Episcopum non debere hoc attentare, non autem quod non possit, etsi etiam dicamus non posse, quod juste non possumus *arg. I. Nepos. ff. de verbor. signif.*“

„Ideo aliud subdo argumentum insinuans Episcopum esse destitutum potentia id statuendi. Nam cum jure communi statutum et praeceptum alias fuerit, ut omnes fideles sacrificio missae interessentes communicarent (*C. 59. de consecrat. dist. 1 et cap.: Peracta de consecr. dist. 2.*) hocque ab apostolis institutum dicat s. Thomas (*in 4. dist. 13. q. 3. art. 1*) et episcopus contra jus commune nihil possit statuere (*C. quod super his de major. et obedient.*, ibi: Dummodo in ipsa synodo non ducas aliquid statuendum quod canonicis obviet institutis) sequitur, ut Episcopus non possit statuere ne quis omni die communicet; nec effugiet vim argumenti Episcopus dicens illis antiquis canonibus derogatum per *Cap.: Etsi non frequenter* eadem *dist. 2.*, cujus verba sunt haec: Et si non frequenter saltem in anno, ter laici homines communicent“, et per *cap.: Omnis de poenit. et remiss.*, ibi: „Susciptens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum“.

Cui concordat s. Concilium sess. 13. de Euchar. Sacr. Can. 9. Nam fateor

per haec posteriora decreta relaxatum rigorem antiquorum canonum quoad obligationem poenalem, ita ut non peccet nec excommunicari possit, qui omni die non communicat, sed non ita abrogatos, ut nemini liceat illos observare, quo tendit haec Episcopi concepta constitutio et de directo dictos antiquos canones impugnat et condemnat, quod attentare non ad ipsius sed ad supremae potestatis auctoritatem spectare puto. Ex quibus non videtur necessarium ad aliorum articulorum excusionem devenire. Verum quoniam haec mea sententia forte ab aliis non probabitur, idcirco veniam ad secundam quaestionem“.

„Supposito igitur quod Episcopus sufficientem causam et etiam potestatem habet id statuendi, quaero: an expediat ut talis edatur constitutio et puto non expedire“.

1) „Res nova est et a nemine quod sciatur intentata, nedum executi unde etiam ab ea Episcopus debet abstinere, *cap.: quis nesciat 11. dist. et arg., cap.: Consuluit 2. qu. 5. ibi:* „Et quod SS. PP. documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est praesumendum“. Et licet haec novitas non sit superstitiosa, novitas tamen est, quae et ipsa fugienda est (*Gloss. fin. cap.: Cum consuetudinis de consuet.*, ubi Jo. Andr. ex Hypocr. ait mutationes omnes periculosas“).

2) „Cavendum ne populus irriteretur seu ad iracundiam provocetur et ne in populo fiant sectae, ne a circumvicinis tamquam excommunicati irrideantur et cum periculo scandali subsannentur vel haeretici sumant occasiones aliquas hoc scientes blasphemias afferendi et alia similia, quae timeri possent eventura et non praevisa, novitatis enim incommoda nisi experientia praecognosci non possunt“.

3) „Nec video, quomodo haec lex posset habere conditiones requisitas

ad hoc ut lex dici possit, de quibus in cap.: *Erit autem lex, dist. 4*“.

„Nam cum devotio et reverentia, qua praeditus quisque ad haec veneranda mysteria accedere debet, non dependeat ab humana solum praeparatione quoad continentes; quis potest ex hominibus efficere, ut quilibet de populo quarta et sexta feria ac die dominico sit magis dispositus ad communionem quam aliis diebus, cum gratia Dei diebus non sit obligata, nec dies, ut ait Paulus, nec tempora sunt in his superstitione dividenda nec observanda. Unde unus die sabbathi, alius altero die, et eademmet persona modo uno die modo altero soleat se magis ad id dispositum sentire. Quod spectat ad conjugatos, de quibus non ex praeecepto sed consilio eadem causa et *dist. 2. cap. 21.* dicitur: „Omnis homo ante sacram communionem a propria uxore abstinere debet a tribus aut quatuor vel octo diebus“, quis novit, quod illorum corpora sint potius illis diebus quam aliis munda, nisi forte Episcopus praeciperet, ut uxorati per tres dies ante communionem a cohabitatione se separant et alii laici a negociis abstineant, si volunt communicare. Et ex praedictis deducitur quod haec dierum certa praescriptio praebit forte potius occasionem ut majori cum irreverentia accedatur ad communionem, utpote qui ad communicandum ex adventu dierum deputatorum magis quam ex intima devotione ad id trahentur, et forte timendum esset potius, ne huic sacramento quae a sacrificantibus irrogetur injuria, qui vel paupertate pressi, vel obligatione vel ratione beneficii adstringuntur, vel superiorum praeecepto saepe mortalibus alligati peccatis sacrum contra *cap.: Significan.* de praebendis facere coguntur. Ex quibus mihi videtur non expedire sufficitque ut populus a concionatoribus saepe exhortetur et doceatur

quantum cum reverentia sit ad haec tremenda mysteria accedendum et ut confessarii poenitentes pro diversitate personarum Zacchaei et Centurionis hos impellant et hos retrahant (*arg. cap.: Quotidie eodem de consecr. dist. 2.*)“.

„Superest, ut ad tertium, quod propositam concernit quaestionem, deveniam. Pro quo praemitto saepe inter antiquos et modernos doctores in illo articulo variatum: An expediat quotidie vel non communionem sumere, aliis affirmantibus, aliis negantibus, ut est videre ex *d. cap.: Quotidie*, et ex *D. in 4. dist. 12. art. 3.* ubi D. Thomas et novissime Soto *d. dist. 12. art. 10*“.

„Et licet D. Augustinus dicto cap.: *Quotidie* non fuerit hunc determinare articulum, licet intrepide hortetur quoslibet, attamen s. Concilium (*cit. cap. 8. sess. 22.*) satis clare insinuat se potius adhaerere illi sententiae, ut quolibet die omnes communicent, quam contrariae. Cujus opinionis scilicet affirmativae, ut mihi videtur, fuit etiam s. Thom., uti supra. Et exinde infero, quod licet haec si fiat constitutio, non potest dici facta directa contra decreta Concilii, utpote quod in dicto *cap. 6.* nihil statuatur, negari tamen non potest quin facto declaret, sic cum tacita intentione sacro Concilio non concordare, quando quidem sacrum Concilium optaret ut omnes singulis diebus communicent; haec autem constitutio inhibet ne fiat, et forte melius esset concludere, quod haec constitutio et dictum decretum sibi obviarent et successive, quod quidem ordinationi dictum obstat decretum“.

„Nollem autem, ut quis ex praedictis colligat, me illius sententiae, ut putem expedire quod confessarii passim indulgeant suis poenitentibus ut quotidie communicent, quandoquidem in praxi ego id non facile concedere so-

leam, sed quod non expedit, ut generali decreto id statuatur, sed ut id cuiusque conscientiae ac confessariorum prudentiae relinquatur, prout hactenus factum fuit. Puto autem quod episcopus laudabile ejus desiderium facilius consequetur, si operam dabit ut in sua dioecesi pios et prudentes habeat confessarios eisque aliquando conveniat et cum eisdem de iis quae spectant ad confessionem et communionem agat cum charitate sibi que addictos reddat, ut facilius eisdem suadere possit, quae in domino expedire judicaverit.

*Epistola s. Congregationis Concilii ad Episcopum Brixien.*

„Rmme Domine. Consulit Amplitudo tua SSmm D. N.: An laicis in civitate ista et dioecesi negotiantibus, conjugatis, item qui sacrosanctam Eucharistiam frequentius aut etiam quotidie sumunt, nec tamen ullo insigni in virtutibus progressu antecedere cernuntur, expediret certos aliquos dies statuere, quibus tantummodo communicarent? Re autem hujusmodi ab ejus Sanctitate ad sacram Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini interpretum delata Illmmi Patres unanimi sententia ita censuerunt: Et si frequens quotidianusque usus hujus admirandi Sacramenti a sanctis Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, nunquam tamen aut saepius illud percipiendi aut ab eo abstinendi certis singulis mensibus aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum praescripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil praecipiens, quid cuperet, tantum indicavit, cum inquit: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes Sacramenti Eucharistiae perceptione communicarent.* (Sess. 22. cap. 6., de sacrif. miss.) Idque non immerito. Multiplices enim sunt conscientiarum re-

cessus, variae ob hujusmodi negotia spiritus alienationes, multae contra gratiae et Dei dona parvulis elargita, quae cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cuiusque dignitate atque integritate et consequenter de frequentiori aut quotidiana vitalis panis esu potest constitui. Et propterea quod ad negotiatores ipsos atinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus confessariorum secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu et ad pietatem processu laicis negotiatoribus et conjugatis, quod perspicent eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt. In *conjugatis* autem hoc amplius advertent, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ad tempus ut vacent orationi, eos serio admoneant, tantum magis ad sacratissimae Eucharistiae reverentiam continentiae vacandum puriorique esse conveniendum. In hoc igitur pastoralis diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti aut quotidiana sacrae Communionis sumptione unica praeepti formula aliqui deterreantur aut sumendi dies universe constituentur, sed magis quod singulis permittendum per se aut per parochos seu confessarios sibi decernendum putet, illudque omnino provideat, ut nemo a sacro convivio seu frequenter seu quotidie accesserit repellatur. Et nihilominus det operam ut unusquisque digne pro devotionis et praeparationis modo rarius aut crebrius dominici corporis suavitate degustet. Quod autem de *monialibus* quotidie sacram communionem petentibus Amplitudo tua quaeritur, admonendae illae erunt, ut diebus ex earum ordinis instituto praestitutis communicent: Si quae vero puritate mentis eniteant et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignae quo-

tidiana SSmmi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a superioribus permittatur. Proderit etiam praeter parochorum et confessariorum diligentiam opera quoque concionatorum uti et cum eis constitutum haberi ut, cum fideles ad SSmmi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accederint, statim de magna ad illud sumendum praeparatione orationem habeant generatimque ostendant, ut qui ad quotidianam aut frequentiore salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint sive conjugati, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti ac divini iudicii formidine discant coelestem mensam, in qua Christus est revereri, et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere seque ad majorem praeparationem accingere. Est autem quod Amplitudo tua de hujusmodi in ista civitate et dioecesi erga SSmm Sacramentum devotione gratias Deo agat, quam ipsa adhibito prudentiae et iudicii temperamento alere debet suoque officio postulari sibi maxime persuadebit, nulli labori aut diligentiae parcendum, ut omnis irreverentiae et scandali suspicio in veri et immaculati Agni perceptione tollatur virtutesque et dona in sumentibus augeantur. Quod abunde continget si illi, qui devoto hujusmodi studio, divina praestante gratia, tenentur seque sacratissimo pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere seque probare cum timore et charitate assueverint. Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum et pretium in morte tradidit atque in coelesti regno se praemium est daturus, precamur, ut suam opem ad dignam praeparationem et sumptionem largiantur, Amplitudinemque tuam, quo in hoc uno maxime incumbere aliaque pastoralia munera explere possit, incolumem tueatur. Romae 24. Jan. 1587.

*Quaesita sequentia sunt proposita:*

1. „An et quomodo communicatio quotidiana sit permittenda vel restringenda quoad saeculares?“
2. „Quoad moniales?“
3. „Istarum servas?“
4. „An et quomodo domestica communicatio permittenda vel limitanda?“
5. „Ac demum quo pacto praenarratis abusibus consulendum?“

*Votum P. Esparza S. J.*

„Ad primum posse et debere ecclesiastico statuto determinari tempus, citra quod non liceat frequentare ac repetere sacram communionem.“

„Interdicendam ideo esse communionem quotidianam omni et cuiusque communitati laicali, nec non majori parti cuiusque ejusdem communitatis sive regularis sive saecularis ea sit, cum hac tamen exceptione, nisi episcopo loci post diligentem discussionem et maturam cum doctis et piis viris deliberationem videretur alicui concedenda communicatio quotidiana vel magis rara juxta quod expedire videbitur.“

„Quoad saeculares seorsim viventis nihil esse innovandum aut speciali statuto praescribendum sed remittendum esse eorum conscientiae et eorum confessariis, addendo tamen, quod episcopi et superiores regulares invigilent huic tanto negotio et cohortationes faciant confessariis et poenitentibus, demonstrando eis abusus et incommoda animarum.“

„Simplices sacerdotes seu non approbati ad confessiones non posse neque debere exponere se confessionibus audiendis sub poenis et censuris ab ordinario infligendis.“

„Quoad communionem domesticam et modum decentem deferendi Sacramentum Eucharistiae observandum esse Rituale Romanum et transgressores illius esse ab Ordinario puniendos.“

*Votum Domini Michaelangeli Riccii.*

*Ad 1.:* Quotidianam communionem neque saecularibus neque regularibus convenire, nisi ea sint animi affectione, quam Salesius describit, et de licentia superiorum. Praeterea sanctionem quoque praeparationem adhibeant, quam etiam sanctos postulare patres ostendit.

*Ad 2. et 3:* Sanctimoniales et earum famulas sui monasterii constitutiones et acceptas a majoribus traditiones in Eucharistia sumenda custodire debere.

*Ad 4:* Ordinarii ne patiantur privati in domibus atque omnino extra ecclesias et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eis designanda et visitanda Eucharistiam fidelibus distribui, nisi quis fuerit graviter infirmus.

*Ad 5:* SSmmus D. N. exemplo B. Pii V. epistolam decretalem ad Hispaniarum episcopos mittat, in qua primum damnet eos errores, qui quotidianam communionem divino jure sanctam fuisse affirmant, et caetera proponat quae ad superiora quaesita fuerunt data responsa. Prohibeat particulas binas dari fidelibus et vetet sub poenis sanctimoniales confiteri peccata nisi confessario ordinario seu extraordinario ab episcopo approbando et deputando.

*Votum Revdmi Archiepiscopi Brancatii.*

Quotidianam communionem vel magis raram esse permittendam vel abnegandam illis personis, quibus prudentia et iudicium confessariorum juxta personarum qualitatem et statum esse deferendum existimaverit et se in totum refert epistolae s. Congregationis Concilii scriptae Episcopo Brixiensti.

*Votum P. Soccini.*

*Ad 1.:* Tenet sequendam esse et tenendam quandam mediam ac regiam viam, scilicet dignos et justos posse

quotidie accedere ad sumendam sanctam Eucharistiam, sed temere usurpandam illam non esse, et ideo remittendum erit pio docto ac prudenti directori, quem unusquisque sibi elegit pro salute suae animae.

*Ad 2.:* Quoad moniales et earum servas omnino servandum esse, quod hac de re statutum habetur ab earum regulis et constitutionibus.

Quoad delationem SSmmi Sacramenti occulte et absque solemnitate, nullo modo id licitum esse, neque enim deferri debet sine solemnitatibus in Rituali statutis, nec non in domo nullius nisi aegrotantis.

*Votum P. Lauriae.*

Omnibus episcopis illorum dioecesium, in quibus controvertitur haec quotidiana communicatio, transmittendum esse exemplum Epistolae s. Congregationis Concilii Episcopo Brixiensti directae et haec sequentia addenda esse:

1. „Errorem esse, quod quotidiana communicatio sit de jure divino praecepta vel prohibita.“

2. „Irreligiosum esse, quod sine debitis praeparationibus quis, licet peccato mortali careat, ad communionem quotidianam vel rariorem accedat.“

3. „Indecens esse Sacramentum Eucharistiae domi retinere vel deferre nisi infirmitatis causa, aliter non esse licitum. Nec non conjugatos vel saeculares abstinendos esse a communione, quando nocte praecedenti debitum matrimoniale exegerunt vel mundanis negotiis sunt vacaturi.“

4. „Indignos esse et irreligiosos illos, qui, si peccato se carere iudicent, nulla alia praeparatione praemissa ad Sacramentum Eucharistiae accedunt.“

„Et contravenientes per Pastores ecclesiarum coercendos esse et omnium juris et facti remedio puniendos.“

*Votum P. Marraccii.*

*Ad 1. 2. et 3* respondit: non improbare neque laudare quotidianam communionem; si enim bene dispositi et animi praeparati quotidie accedunt ad Sacramentum eucharistiae, bene agunt; sin tepide et irreverenter accedunt ad illud, male agunt et ideo debet totum id remitti arbitrio confessarii.

In nonnullis regionibus partim Hispaniarum est adeo frequens et radicalata communicatio quotidiana tam inter saeculares quam inter moniales illarumque servas, ut, nisi apostolicae sedis remedio occurratur, augustissimi eucharistiae Sacramenti contemptui consuli nequeat. „Malum hoc eo magis perniciosum, quia confessarii et ac verbi Dei praedicatores frequentiam hanc verbo scriptisque evulgant et inculcant, quasi ea sit divino jure sancta et sola mortalis carentia praeparationi sufficiat.“

„Adhuc inter moniales ulteriora scandalorum capita emergunt, quoniam, dum unus confessarius excipiendis singularum confessionibus impar est, complures ad sacrum convivium inconfessae accedunt, auditoque communionis signo ex officinis et e lecto turmatim convolant, non paratae; ex quo etiam fit, ut chorus quotidie remaneat destitutus. Nonnullae etiam vigore bullae cruciatae praetendunt etiam in hac quotidiana communione eligere sibi quemlibet in confessarium imo sacerdotem quemcumque etiam ab Ordinario non approbatum, sub praetextu, quod constitutiones apostolicae intelligendae sint de confessionibus mortalium non venialium, quae sunt materia voluntaria. Et in hoc taxandi sunt regulares, qui tales opiniones insinuant.“

„Inter saeculares vero hoc amplius est, quod domi et in lecto communi-

cant absque ullo discrimine, dum regulares privatim ad eos deferunt Eucharistiam etiam in crumena aut ex privato oratorio, in quo celebrent, sub praetextu, quod communicatio quotidiana sit de jure divino; ideoque quodlibet impedimentum accedendi ad ecclesiam id licitum reddat.“

„Accedit, quod consueverunt nonnulli eorum devotis duas sacras formas tradere, ut magis perduret sacramenti existentia, quod alii intelligentes de hac partialitate dolent.“

„Et quamvis S. C. C. alias in simili casu ab Episcopo Brixiensti consulta responderit, non posse certos abstinendi aut sumendi dies praescribi, sed hoc totum remittendum arbitrio confessariorum, qui pro modo praeparationis et devotionis id fidelibus juxta singulorum casuum circumstantias, nec non praedicatoribus injungendum, ut statim post commendatam frequentiam dignae praeparationis necessitatem inculcarent, quoniam, qui sumit indigne, iudicium sibi manducat et bibit: nihilominus, quoniam in praesenti ipsimet confessarii et praedicatores praemissarum opinionum fautores frequentiam insinuant, excogitandum est non solum quid tenendum sed etiam quid facto opus sit. Totius igitur rei inspectio versari debet circa infrascripta vide licet:

„An et quomodo communicatio quotidiana permittenda vel restringenda quoad saeculares?“

2) „Quoad moniales?“

3) „Istarum servas?“

4) „An et quomodo domestica communicatio permittenda vel limitanda?“

5) „Ac demum quo pacto praenarratis abusibus consulendum?“

„Praemissis ad SSmmum D. N. relatis Sanctitas Sua meam sententiam et quinque Theologorum, quorum nomina